

Martyribus ne nunc quidem post tot Sæcula datum , neque dandum nisi in Mundi excidio , quod , unus Deus novit , quot adhuc Sæculis a nobis distet . Aliam fidem , aliam Traditionem profecto primitiva Ecclesia , ut vidimus , tenuit , & quidem per omnes Ecclesias . Nam ita sensisse Ecclesiam Romanam , Ecclesias Africæ , Ægypti , Asiae , Hispaniæ vidimus , quibuscum concordes nunc videmus Gallicarum . Spes nempe immo firmissima Fides pervenienti e vestigio ad Dominum , ejusque Regiæ Beatitate fruendi , quam a vicinis Apostolis , atque adeo ab ipso Christo acceperant , illa illa erat , quæ ad tormenta subeunda generosos Fidelium animos urgebat ; neque tantum intrepidos , sed & hilares in ipsa lanrena efficiebat . Atqui tantæ Spei ac Fidei bellum nuper indixit Burnetus . Quidni indignationem atque opprobrium apud quemque verum sanctæ Religionis amatorem , non vero gloriam , pravum ejus consilium incurrat ? Habeamus ejusdem Eusebii Orationem lib. x. cap. 4. Histor. Ecclesiast. ubi sequotus Apostolum in Epistol. ad Hebr. xii. 22. commemorat supernam illam Hierusalem , Cœlestem Montem Sion , & ultra Mundum positam Civitatem Dei viventis , in qua innumerabiles Angelorum chori , & Ecclesia primogenitorum , qui in albo Cœlestium Civium descripti sunt , & conditorem suum ac summum omnium ducem Hymnis venerantur . Vides minime dubitasse Eusebium , quin multa jam turba Fidelium in Cœlestem illam Civitatem fuerit invenata . Atque illuc præ ceteris Sanctos Patres a Christo ascendentis in Cælum deditos ait lib. iv. c. 12. Demonstrat. Evangel. illuc quoque Constantini Magni Augusti Animam jam penetrassis , doctissimus ipse vir certum putabat lib. i. cap. 2. de Vita ejusdem Augusti , ubi hæc scribit : Jam vero quum ad ipsos usque Cali fornices mentis meæ aciem extendi , atque illic beatissimam ejus ANIMAM CUM DEO VERSARI cogito : terrestri quidem ac mortali integumento liberatam , circumdatam vero splendidissimæ Lucis Stola ; eamque non jam brevi tempori curriculo in his caducis sedibus volunt , sed Corona perpetuo virente , & Immortali Vita , ac Beato Ævo donatam esse intelligo . mutus hære &c. Gemina sunt , quæ idem Lib. iii. cap. 46. ejusdem Vitæ tradidit de Helena Augusta Constantini matre , muliere sanctissima , ipsam inquiens longo vita spatio decursu , ad Feliciorem Sortem accitam fuisse . Eluxit & in illius morte pietas , adeo ut nequaquam mori mulier beatissima , sed potius caducam hanc vitam cum Immortali Vita commutare , recte sentientibus videbatur . ANIMA igitur illius , in incorruptibilem & Angelicam sustinuam reformatam , AD DEUM SALVATOREM SUUM ASSUMPTA EST . Quamobrem non unis Martyribus , sed quibusvis Justis aditum in Cœlestem Beatitudinem tunc etiam Ecclesia sentiebat . Ad hæc lib. iv. cap. 63. morientis Constantini alacritatem exprimit , utpote qui adstantibus & lacrymantibus responderet : Properare se , & profectionem ad Deum suum nulla tergiversatione differre . Is autem die festo Pentecostes ad suum Deum migravit ; mortalibus quidem partem sui mortalem relinquens ; cum vero ANIMÆ PARTEM ,